

quis, de Foro competent. num. 21. ut patet supra n. 34. Loquendo vere de Clericis in Sacris, cum per Tridentinum nihil de novo de ipsis disponatur quoad amissionem privilegii *Fori* per solam dimissionem *Habitus*, et *Tonsuræ*, etc., ut disponitur de Minoristis in *d. sess. 23. cap. 6. de reformat.* standum est dispositioni *Juris communis*, quod ipsi non amittant privilegium *Fori*, nisi ter mōniti non desistant ab enormitatibus, quibus se immiscent, *Habitu*, et *Tonsura Clericali* depositis ex dict. cap. Contingit, de sentent. excommun. ut patet supra num. 86. (95. Et consequenter quod facilius ipsi amittant privilegium *Canonis*, quam privilegium *Fori*, ut dictum est supra n. 87.

ADDITIONES AUCTORIS.

(96. Clerici in minoribus constituti non servantes præscripta Concilii Tridentini, non gaudent privilegio *Fori* in causis homicidii. Benedictus XIV. tom. 1. *Constit. 88. incip. Alias 5. 2.* (97. Atque etiam expleta poena eodem privilegio privati remanent, et habitum clericalem reassumere nequeunt. Idem *ibidem*. (98. Utrum præscripta a Concilio Tridentino servaverint, ab Ordinariis esse declarandum, non retardata assecuratione personæ. (99. Idem *ibid.* Simples vero tonsurati non beneficiati etiam servantes præscripta Concilii privantur privilegio *Fori* post duo homicidia. Idem *ibid.*

(100. Pro hujus doctrinæ coronide illud hic omittendum non est, quod animadvertit doctissimus æque ac piissimus Præsul Josephus Maria Maraviglia Episcopus Novariensis in suis *Legibus Prudentiæ Episcopalis* Beatissimo Patri Venerabili Innocentio XI. dicatis, et anno 1678. editis. Ille enim in *Lege 47. in qua defendit, Admittenda ab Episcopis Principum Privilegia a summis Pontificibus concessa*, ipsissimis hisce verbis utitur: « Commune populorum commo- dum, quod in recto Principum regimine semper spectandum est, exigit plerumque, ut non modicis, sed amplis privilegiis a summis Pontificibus cumulentur Principes ipsi, cum nec ab eadem meta, quæ est mundanæ Reipublicæ salus ab iis, qui supremi moderatoris vices agunt in terris, nunquam fas sit aberrare; quæcunque enim temporanea populorum salus ita cum æterna animarum salute colligatur, ut hoc insolubile vinculum disrumpere nemini liceat; ac propterea non raro contingit, ut summi quoque Ecclesiæ Principes et Hierarchæ ad tuendas aliorum Principum Respublicas, easque in optimum finem perducendas privilegia quædam non solo dispensent arbitrio, sed aliqua ex causa rem justitiæ, vel æquitatis, vel remunerationis patrocinante. Ejusmodi igitur Principum privilegia in bonum commune ex instituto collimantia ab Episcopali prudentia, ne dum facile admittenda sunt, sed etiam toto conatu in usum revocanda, ut pote Ecclesiæ admodum faventia; licet enim videantur quandoque Ecclesiasticæ immunitati, aut libertati adversari, cum tamen, revera in ipsis ad summum jus Ecclesiæ ex indulto

summorum Pontificum ad majora reparanda mala transferatur in laicam potestatem, sequitur aperte nihil juris Ecclesiæ lædi, aut violari per hujusmodi translationem; sed potius jus ipsum Ecclesiæ sustineri; cum omnia agant Principes ex hoc jure translato virtute privilegiorum, a quo etiam dicuntur accipere potestatem, etc. » Deinde aliam immediate. *Legem 48* sapientissimus Auctor subdit, in qua probans, « Permittenda ab Episcopis quædam Principum Judicia adversus Ecclesiasticos, » hæc præcisa verba scribit: « Plures enumerant Canonistæ casus, in quibus licet Episcopali prudentiæ permittere Principibus judicia adversus Ecclesiasticos, sine læsione Ecclesiasticæ libertatis, qui quidem, cum sint fere omnibus noti, non est hic operæ pretium eos recensere. Quo jure vero id agant Principes, et Judices Laici etiam in causa mortis, ex supra dictis statutum est; utuntur namque jure illo in ipsos ab Ecclesia translato, ne sceleribus, vel criminibus atrocibus ab Ecclesiasticis perpetratis, vel pereat Orbis, vel ipsa contaminetur Ecclesia, aut ab innato paulatim concidat innocentia candore. Præ cæteris Principibus ejusmodi Privilegiis ditata est a summis Pontificibus Serenissima Venetorum Respublica, quæ licet ex delictis atrocibus vel ex criminibus læsæ Majestatis sæpe animadvertat in Clericos, cum tamen ubique terrarum fulgeat pietatis ac Religionis obsequio, atque Ecclesiæ veneratione, id sane non ageret, nisi hoc jure per Pontificia Diplomata in ejus potestatem translato impune uti posset. Diplomata, quæ exstant in hac materia apud Venetos plura sunt. 1. Xisti IV. datum Romæ die 11. Junii 1474. anno tert. Pont. 2. idem Xisti IV. datum Romæ die 30. Jun. 1474. anno tert. Pont. 3. Innoc. VIII datum Romæ 1487. anno quart. Pontif. 4. Alexandri VI. datum Romæ die 28. Junii anno decimo Pontif. 5. Pauli III. datum Romæ die 10. Octobris 1544. anno oct. Pontif. Quorum exempla manuscripta ipsemet vidi, et sub hac Lege XLVIII. recensentur ad verbum, ad tollendas mentis dubietates; novi enim quamplures supra ejusmodi Venetorum privilegia hæsitare, etc. Hanc doctrinam temporibus Ven. Innocent. tuebatur numquam satis laudatus Episcopus Maraviglia. Diplomata ab illo indicata, quæ brevitate gratia hic omittuntur, apud illum, si libuerit, videri poterunt per extensum.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(101. De eo gravis inter Doctores quæstio est, an simplex Clericus, qui privilegium *Fori* amisit, eo quia non implevit, quod præscribit Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 6. de Reform.* amiserit simul alia Privilegia Clericis concessa?

(102. Negant Comitoli. *Respons. Moral. lib. 6. quest. 20.* ubi assertit pro sua negativa sententia Epistolam Sacræ Congregationis Concilii interpretis, de Marin. *lib. 2. quotidian. Resol. cap. 42. num. 3.* ubi quod eadem Sac. Congregatio die 18. Septem. anni 1593. rescripsit: « Clericum prima Tonsura insignitum gaudere beneficio cap. Odoardus, quam-

vis ille habitum Clericatem et Tonsuram non deferat, nec in divinis inserviat. »

(103. Affirmat vero, et quidem de opinione Rotæ Cardinal. de Luca in *adnotat. ad Cone. Trid. discurs. 24. num. 33. et sequent.* « Prorsus etenim improbable est (ait), ut denegari debeat illud privilegium *Fori*, quod concernit præjudicium totius Ordinis Clericalis, adeo ut neque volens possit Clericus illi renunciare, ac se laicali *fori* subjicere retenta Clerici figura vel statu, adeo ut possit ita per Magistratum sæcularem fureis suspendi, atque in frustra scindi, seu ignominiose fustigari, aliisque subjeti pœnis Clericali statui omnino incongruis, et ut ea retinere debeat privilegia, quæ interesse privatam concernunt, et quibus sine aliquo Ordinis præjudicio renuntiare potest, ut est illud factionis testamenti, exemptionis ab usufructu legali cum similibus. Ac etiam est illud cap. Odoardus, quod etiam Clericis in Sacris vel ratione doli, vel ratione arctioris obligationis, et in plerisque aliis casibus denegari solet. » Assentiri videtur Cardinali de Luca in *Meliorat. ad de Marin. dict. lib. 2. dict. cap. 47. num. 14.* tum adduci pro Cardin. de Luca potest Rota *cor. Rojas dec. 473. n. 3.*

(104. In hoc opinionum conflictu Auctor *Notarum in Concordat. S. Sedem inter et Regem utriusque Siciliae cap. 3. art. 1. num. 35.* tenet, tunc amplecti posse affirmativam opinionem Cardinalis de Luca, quum trina præcessit monitio, et eam Clericus monitus, minime curavit (1).

ARTICULUS III.

Clericus quoad negotia sæcularia.

(1. Negotium sæculare accipitur tripliciter, scilicet large, stricte, et strictissime. Fagnan. in *cap. Cum multa 1. Ne Clerici, vel Monachi, num. 18. et seq.* (2. Negotium sæculare large acceptum est quidquid provenit ex carnali concupiscentia non subjecta fræno rationis. Colligitur ex *cap. Multa sunt negotia 1. Ne Clerici, vel Monachi*; et dicitur Negotium sæculare, quia per illud vivitur omnino sæculariter, id est secundum sæculum, et mundum, seu carnem, non autem secundum Deum et Spiritum; et hæc etiam prohibentur Laicis, ut patet ex multis enumeratis in *cit. c. cum Multa*; sed specialiter prohibentur Clericis. (3. Negotium sæculare stricte acceptum comprehendit quidquid pertinet ad rempublicam mundanam, et sæculares homines; et hoc quamvis permissum sit Laicis, tamen Clericis est interdictum, ut *cap. Fornicari 10. dist. 88.* ibi: « Fornicari omnibus semper non licet: negotiari vero

(1) Definitum est, teste Giraldo *Expos. Jur. Pont. par. 2. sect. 95.* Clericos, qui tonsuram vestesque clericales abjecerunt, *Fori tantum* privilegia amittere, non vero reliqua. Ut autem hi Clerici *fori* amittant privilegium, monitione non indigent ulla. (*Edit. Casin.*)

(2) Rationes omnes, quibus Clerici, Sacris Canonibus Spiritu Dei conditis a negotiationibus exercendis jubentur abstinere, collegit, atque breviter, ac pulchre suo more proposuit D. Thomas 2. 2. q.

aliquando licet, antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, factum jam non licet: et l. *Placet, Cod. de Episc. et Cleric.* » ubi Clerici nihil commune habere dicuntur cum pluribus actionibus, vel ad curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi (4. Unde Clerici vacare debent Reipublicæ spirituali; Laici vero Reipublicæ temporali; *arg. c. Duo sunt genera 1. q. 1. c. Conventior, et cap. Reprehensibile 23. q. 8. cap. Duo sunt, dist. 96. et cap. Solita, de major. et obed.* (5. Negotium sæculare strictissime acceptum sumitur pro exercitio mercatoris, seu negotiatoris, ut colligitur ex *cap. Quid est aliud 13. dist. 88.* ibi: « Quid est aliud negotium, nisi quæ possint vilius comparari, carius velle distrahere? » et *c. Forus de verb. significat.* ibi: « Negotiatio in Commercii dicitur, ubi aliquid datur, ut majora lucentur. » Et talis negotiatio est Clericis prohibita, ut mox subjiciam.

(6. Clericis omnibus in Sacris constitutis, aut in Minoribus congruam sustentationem habentibus, sive ex beneficio Ecclesiastico, sive ex bonis patrimonialibus, est prohibitum negotiis sæcularibus sese immiscere, cupiditatis, et turpis lucri gratia; *cap. Consequens 2. cap. Episcopus 3. cap. Prælatum 4. cap. Negotiatorem 9. cap. Fornicari 30. cap. Ejiciens 11. dist. 88. cap. Clerici officia 15. de vita, et honest. Cleric. cap. Cum Multa negotia 1. Ne Clerici vel Monachi et cap. Secundum 6. tit. eod.* ubi sic expresse dicitur: « Secundum instituta Prædecessorum nostrorum, sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lucri negotientur, » et sæpe alibi consimiliter repetitur interdicta Clericis negotiatio propter varias congruentes rationes (2). (7. Prima quia, ut scribit Apostolus 2. *ad Timot. cap. 2.* « Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus; » cum negotia sæcularia homines retrahant a spiritualibus, et Divinis Officiis, quibus incumbere peculiare munus est Clericorum; *cap. Numquam dist. 5. de consecr. c. Clericus 3. dist. 91.* ibi: *Absque Officii sui detrimento c. Ex litteris 16. de vita, et honestate Cleric.* ibi: *Potius sæcularibus negotiationibus, quam Officiis Divinis intendunt.* (8. Secunda, quia Clerici sunt ex illo genere Christianorum, quod mancipatur Divino Officio, et deditum contemplationi, et Orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut expresse habetur in *cap. Duo sunt genera 12. quest. 1.* (9. Tertia, quia Clerici non sunt de corpore Reipublicæ sæcularibus, sed Ecclesiasticæ; *leg. Placuit Cod. de Episc. et Cleric. et cap. Fornicari 10. dist. 88.* (10. Quarta, quia negotiatio, ut

77. *Art. 4. ad 3.* quas apud ipsum legere minime pigeat. Ubi et quam maxime advertenda est Doctrina D. Thomæ, quæ non leviter conducit ad plures casuum nodos extricandos; quæ hunc in modum se habet: *Dicendum, quod non quicumque carius vendit aliquid, quam emitur, negotiatur; sed qui ad hoc emit, ut carius vendat. Si autem emit, rem non ut vendat, sed ut teneat, et postmodum propter aliquam causam vendere velit, non est negotiatio, quamvis carius vendat.* *Ibid. ad 2 (Edit. Neap.)*

plurimum sine mendacio, et perjurio exerceri non potest; *cap. Efficentis 11. dist. 88. et cap. Qualitas 2. dist. 5. de pœnit.* ibi: « Difficile est inter ementis, vendentisque commercium non intervenire peccatum; » ut enim Gloss. final. ibid. observat, contrahentibus naturale est se invicem decipere; *l. In causa 17. § Idem ff. de Min. et l. Item si pretio, § Quemadmodum, ff. locati.*

(11. Unde tales Clerici exercendo negotiationes prohibitas peccant mortaliter, et possunt suspendi a Divinis, immo et excommunicari, si tertio admoniti non respiciant; *c. Negotiatorem 9. dist. 88.* ibi: « Negotiatorem Clericum, et ex inope divitem, et ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge; » *cap. Sed nec procuraciones 4. Ne clerici, vel Monachi* ubi præcipitur, ut suspendantur ex Officio Ecclesiastico, ibi: « Ecclesiastico fiat ministerio alienus, » *cap. Secundum 6. eodem tit. ubi decernitur, ut excommunicentur, ibi: « Secundum instituta Prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis, prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causa lucri negotientur, » cap. Clericus 4. dist. 91. ubi imponitur eis degradationis pœna, ibi « Ab Officio suo degradentur. » Cum autem pœnæ tam graves non imponi soleant, nisi propter gravissimas culpas; *argum. cap. Nemo Episcop. et cap. Nullus Sacerdotum 11. quæst. 3.* stat evidenter, quod Clerici exercendo tales negotiationes sæculares, peccent mortaliter. Et sic tenent expresse Bellett. *Disquisit. Cleric. p. 2. § 51. de pœnis Cleric. num. 2.* Fagnan in *c. Multa, Ne Clerici, vel Monachi n. 11. Barbosa lib. 1. Juris Ecclesiast. univ. cap. 40. n. 114. et 128.* cum pluribus ibi citatis et alii passim. (12. Ultra culpam mortalem, et pœnas supra recensitas Clerici negotiatores, si tertio admoniti a negotiationibus non desistant, perdunt interim privilegium Clericale, quoad bona sua; *capit. Ex litteris 16. de vita et honest. Clericorum, ibi: « Mandamus, quatenus, si tales tertio a te moniti ab hujusmodi non respuerint; sed prætermisissis Divinis Officiis, negotiationibus institerint supradictis, cum facto privilegium abjiciant Clericale, tu quominus, dum his se implicant de suis facultatibus, statutis, et consuetudinibus patriæ subjaceant, non defendas eosdem. »* (13. Dantur tamen plures casus, in quibus Clerici negotiationem exercentes nullam culpam et pœnam incurrunt. Primo, si Clerici negotiationem exercent non turpis lucri gratia, sed mere necessitatis causa, ut se suosque alant, cum aliunde non habeant, unde vivant, et bona ad eorum victum non sufficiant; *cap. Multa sunt negotia 1. Ne Clerici, vel Monachi, ibi: « Nec tamen justum negotium est contradicendum propter necessitates diversas, quia legimus Sanctos Apostolos negotiatos fuisse, et in Regula Beati Benedicti præcipitur provideri, per quorum manus negotia Monasterii procurantur. »* (14. Secundo, quando Clerici bona sua patrimonialia, ac Beneficiorum, quæ obtinent, excoli faciunt, animaliaque ad hunc effectum necessaria emunt, et vendunt. Ita Sac. Congr.*

Episcop. et Regular. in *Barensi 15 Novembr. 1616.* (15. Tertio, si Clerici vinum suum etiam minutim vendiderint. Sac. Congreg. Episcop. et Regular. in *Aversana 5 Maii 1593.* tabernam enim non dicuntur exercere, nec ad gabellæ solutionem tenentur, qui vinum suum ad minutum vendunt, ut pluries decrevit Sac. Congr. Immunitatis, et signanter in *Ravennaten. et Spoletana 25. Septembr. 1627. in Nolana 12 Jul. 1649. in Lauretana 17 Junii 1654. in Theatina 15. Mart. 1661. in Faventina 25. Januar. 1677.* Et sic possunt Clerici vendere panem coctum, et ad minutum ex frumento collecto in prædiis Canonicalibus sine suspitione illicitæ negotiationis; *Abbas consil. 6. in fine lib. 1. Cravetta consil. 5. n. 116. Sylvester in summ. verb. Excomm. 21. vers. Secundo nota, n. 46. Carol. de Grassis de effectibus Clerical. effect. 6. num. 33. etiam non obstante prohibitione; Rolandus consil. 72. n. 9. lib. 4. Barbosa lib. 1. Juris Ecclesiast. univ. cap. 40. n. 30.* (16. Quarto, quando a principio defuit animus negotiandi, vel lucrandi; id est quia Clericus emit pertinentia ad se, suamque familiam sustentandam per totum annum, et præter propositum empta supersunt, vel diminutione familiæ, vel alia ratione; tunc enim prætio currenti, etiamsi cariore, quam erat, absque illicitæ negotiationis periculo vendere potest. *Prosp. de Augustino in addit. ad Quarant. verb. vectigal, vers. tertio; Aloysius Riccius p. 3. præx. resol. 202. n. 1. Barbosa lib. 1. Jur. Eccles. univ. c. 40. n. 122. cum aliis ibi citatis.*

(17. Circa hanc autem materiam variis aliis relictis, specialis decisio Sacræ Congregationis Conc. varios casus ad rem facientes complectens adducitur a *Barbosa loco cit. n. 127.* prout sequitur Eminentissimi et Reverendissimi Domini, Capitulum, Presbyteri, et Clerus Civitatis, et Diocesis Caputaquensis pro ut plurimum ob loci, personarum, et temporum qualitatem aliquas ex infrascriptis actionibus facere, nec non ad suam, et familiæ sustentationem coguntur querere, ad obviandas vexationes Commissariorum petunt, ut declaretur, an liceat infrascripta facere absque reatu illicitæ negotiationis.

(18. Primo. An liceat eis terras Patrimoniales, et Beneficiales pro laicos colere.

(19. Secundo. An pro necessario culturae usu possint emere boves, et alia animalia, et foetus illorum vendere.

(20. Tertio. An ii, qui in propriis terris habent quercus, et castaneas, quarum fructibus sues vescuntur, possint sues emere, eosque alere, et pro familiæ sustentatione vendere?

(21. Quarto. An iidem Clerici cum foliis suarum arborum possint in propriis ædibus arti sericæ operam dare, vel idem opus dare ad medietatem, seu ad quartum, et fructus inde percipiendos vendere absque reatu illicitæ negotiationis.

(22. Quinto. An Clerici pauperes ad suam, suæque familiæ sustentationem possint terras Ecclesiæ conducere.

(23. Sexto. An possint locare boves, oves,

et animalia, quæ habent ex successione, vel aliis debitis, vel decimis, eorumque fructus vendere?

(24. Septimo. An liceat ex olivis, vineis, quercubus, et aliis arboribus existentibus in terris Patrimonialibus, et Beneficialibus, et aliis obtentis vendere oleum, vinum, glandes, et alios fructus ad sustentationem suæ familiæ; item, et granum, et frumentum hujusmodi ex bonis Patrimonialibus, aut Beneficialibus?

Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum prævia matura consideratione, et inhærendo declarationibus alias factis,

(25. Ad primum respondit, licere Clericis agros Beneficiorum, et bonorum Patrimonialium Laicorum opera colere absque metu illicitæ negotiationis.

(26. Ad secundum, posse similiter Clericos pro culturae usu boves, et alia animalia necessaria emere, illorumque foetus justo pretio, et honesta ratione vendere, nec ob id prohibita negotiationis prætextu vexari posse, aut debere.

(27. Ad tertium item, et posse Clericos habentes in propriis bonis quercus, et castaneas, sues emere, eosque alere pro sua, et familiæ sustentatione, dummodo tamen in emendis, alendis, distrahendisque nihil sordidum, aut indecens Ordini Clericali exquantur.

(28. Ad quartum, licere Clericis folia arborum in propriis bonis existentium alicui Laico concedere eo pacto adjecto, ut lucrum ex bombycibus inter utrumque dividatur; et pariter eisdem licere earundem arborum foliis per se ipsos absque Officii eorum detrimento arti sericæ operam dare pro sua et familiæ sustentatione; dummodo tamen officio hujusmodi personas non suspectas adhibeant, et quoad hoc Episcopi licentia, quæ gratis sit concedenda, obtineatur.

(29. Ad quintum, Clericos pauperes ad suam suæque familiæ sustentationem posse terras Ecclesiæ conducere absque reatu illicitæ negotiationis; bona vero Laicorum non posse nisi ex mera, et præcisa necessitate.

(30. Ad sextum, posse retinere, et locare boves, et oves, et alia animalia, quæ habent ex successione, vel decimis, nec non fructus illorum vendere absque reatu illicitæ negotiationis.

(31. Ad septimum, eosdem posse vendere granum, hordeum, et alios fructus relictos ex bonis Patrimonialibus, vel Ecclesiasticis pro sua et suorum sustentatione. R. Cardin. Ubaldinus. Franc. Paulucius Sac. Congreg. Conc. Trident. Secretarius.

(32. Et sic responsum fuisse Presbyteris, et Clericis Terræ Madae Nicostraten. Diocesis de anno 1627 refert Fagnan. in *cap. Multa sunt negotia 1. Ne Clerici, vel Monachi n. 34 et seqq.* adducens ipsam declarationem. Et consimiliter responsum etiam fuisse Presbyteris, et Clericis Alti Montis Casinensis Diocesis de anno 1629. refert Carol. Marant. *tom. 2. res. 41. in fine adducens*

FERRAR. II.

declarationem Sac. Congreg. quæ cum præcedenti coincidit.

(33. Sacerdotes, et Beneficiati Diocesis Alexanen. et Ugen. cum a Commissariis Spolii molestarentur ex capite illicitæ negotiationis in infrascriptis casibus, supplicent Sac. Congregat. dignetur declarare, quando in eisdem, sit licita, vel illicita Oratoribus negotiatio.

(34. Primo. An Sacerdotes, et Clerici Beneficiati possint operas suorum bovum, quos pro laborandis prædiis suis Patrimonialibus, seu Beneficialibus retinent, dum sibi vacant, aliis locare pro certa mercede absque periculo spolii, et pœnarum Clericis negotiatoribus impositarum?

(35. Secundo. An possint, si boves emerint, vel in suis prædiis natos educaverint, et instruxerint, conducere, ut vulgo dicitur a *giovatico* pro certa tritici quantitate quolibet anno persolvenda.

(36. Tertio. An possint oves centum, vel saltem quadraginta simili actione concedere pro certa caseorum quantitate pro eorum et suæ familiæ usu?

(37. Quarto. An in suis molendinis pro tritico, et pistrinis pro oleo, postquam suum triticum, et olivas moluerint, alienum triticum, et olivas certa mercede constituta molere possint; suppositis infrascriptis, quod id ab immemorabili tempore semper fuerit factum, et observatum: quod singulis annis non expedit pro solo servitio proprio triginta, vel quadraginta ducatos impendere in conficiendis pistrinis, nam fiunt ex juncis, et aliis materiis, quæ mensibus quinque, aut sex corrumpuntur: et in uno equo, et quatuor personis inservientibus ipsis pistrinis. Et quod molitura olivarum durat per quatuor, quinque, vel sex menses, juxta annorum fertilitatem.

(38. Quinto. An possint assumere onus colligendi, et faciendi a sua familia colligere olivas pro certa olei portione domino oliveti reddenda, supposita in hoc immemorabili consuetudine.

(39. Sexto, et ultimo. An possint in bonis amicorum et propinquorum operas diurnas præstare, ut illis easdem in prædiis restituant?

Ad dubia proposita responsum fuit, ut sequitur.

(40. Ad primum, affirmative, si tot juga bovum retineantur, quot sunt pro prædiis necessaria, vel si ultra necessitatem culturae prædiorum, vel alio licito modo tenentur, per Doctrinam Molinæ loco infra citando.

(41. Ad secundum, quoad boves emptos, negative, quo vero ad boves proprios, affirmative; P. Molina de *contract. disp. 342. sub num. 4.* quam refert, et sequitur Quaranta in *verb. Vectigal. § similiter ad illicita.*

(42. Ad tertium, affirmative, si oves propriæ fuerint, et non emptæ ad illum effectum, ex præcedenti Molinæ Doctrina; et si emptæ, dummodo ad comparandum necessaria ad victum, et non ad lucrum.

(43. Ad quartum, affirmative, duobus concurrentibus, videlicet modo ob hanc cau-

sam non se subtrahant ab iis, in quibus ex Officio Clericali incumbere debent, et dummodo non ad lucrum, sed ad necessaria vitæ comparanda pro se et sua familia; non enim hujusmodi artificium sordidum videtur, aut inhonestum in illis partibus, cum per unum equum, et quatuor famulos, seu operarios fiat, et non per ipsos Clericos. Quarant. ubi supra, post alios, § *difficultas versatur circa med. et fin.*

(44. Ad quintum, negative, nisi proprii reditus, sibi, suæque familiæ non sufficiant; nam hoc casu ad comparandum victum etiam aliena prædia conducere licet; Gloss. in cap. *Pervenit, verb. conductiones* 86. *Dist. quod est de mente omnium Doctorum, ut testatur Quaranta ubi supra §. quæritur in fine.*

(45. Ad sextum, si opera non sit sordida, et inhonesta, possunt fieri hujusmodi commutationes per ea, quæ scribit Quaranta ubi supra § *Difficultas in fine* ex Doctrina Sylvestri.

(46. Hinc juvat afferre aliam Sacræ Congregationis responsionem datam in dubio eidem Sacræ Congregationi proposito a Patre Passerino suæ Religionis Generali procuratore his verbis... « An prædictis Presbyteris, et Clericis liceat absque negotiationis Clericis interdictæ nota, oves, boves, aliaque hujusmodi animalia emere, eaque locationis, aut societatis titulo conductori, aut socio tradere, ac lucrum ex hujusmodi locatione sive societate percipere? Die 7. Octob. 1662. Sac. Congregat. S. R. E. Cardinalium Conc. Trident. Interpret. censuit non licere. » Quam resolutionem authenticam apud se retinuisse testatur in *Tractat. de statu homin. t. 2. q. 187. art. 2. n. 187. pag. 339.* (47. Potest Episcopus prohibere Clericis Minorum Ordinum, et primæ Tonsuræ, ne exerceant mercaturam, nec suscipiant apparatus aquæ vitæ, ceræ, tabacci, saponis, vel macinatus, ut respondit Sac. Congreg. Conc. in *Civitatis Plebis* 2. Augusti 1687. lib. 37. *Decretor. fol. 464.*

(48. Ex prædictis Sac. Congr. declarationibus satis aperte colligitur, posse Clericos dare operam negotiationibus illius speciei, quæ dicitur artificium, non autem negotiationi propriæ sumptæ. (49. Ut autem hoc facilius percipiatur, advertenda est differentia intercedens inter negotiationem propriè sumptam, et artificium. Negotiatio enim propriè sumpta est, quando emitur res, ut omnino integre, et immutata carius vendatur, ita ut ex sola transmutatione de persona in personam sequatur lucrum. Artificium vero est, quando emitur res, ut inde habeatur materia ad operandum propriis manibus, eamque reducendi ad aliam formam; deducitur ex cap. *Ejiciens* 11. *Dist. 88.* ubi sic expresse dicitur: « Quicumque rem comparat non ut ipsam rem integram et immutatam vendat, sed ut materia sibi sit inde aliquid operandi, ille non est negotiator; qui autem comparat rem, ut illam ipsam integram et immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur. » Et sic notat *ibidem* Gloss. Butr. Abbas, et alii pas-

sim cum Fagnan. in *d. cap. Multa num. 23.* (50. Addit autem Bellettus in *disquisit. Clerical. part. 2. § 51. de pænis Clericor. n. 1.* etiam tunc intervenire negotiationem Clericis interdictam, cum quis eorum aliquam rem v. g. lanam emit, ut suis expensis per mercenariorum, et opificum industriam, et laborem (non autem per semetipsum) aliquid efficiat, scilicet ex lana empta pannum conficiat postea revenditurus, ut inde aliquid lucrari possit.

(51. Unde licet negotiatio propriè sumpta sit Clericis interdicta; « ex cit. c. Consequens 2. cap. *Negotiator* 9. cap. *Fornicari* 10. cap. *Ejiciens* 11. *Dist. 88.* cap. *Clerici officia* 15. de vita, et honest. Cleric. cap. cum *Multa negotia* 1. » *Ne Clerici, vel Monachi, et cap. Secundum* 6. eod. tit. cum similibus; tamen artificium, et manualis operatio absque fine turpis lucri non interdicuntur Clericis; imo ipsis recommendatur, sicut agricultura, dummodo fiat absque neglectu Officii Ecclesiastici; cap. *Clericus* 3. *dist. 91.* ibi: « Clericus victum, et vestitum sibi artificioso, vel agricultura absque officii sui detrimento ponet: » et cap. *Cler.* 4. ead. *dist. 92.* ibi: « Clericus quantumlibet verbo Deieruditus artificioso victum quærat. » (52. Non enim tale artificium, et manualis operatio implicat ad peccatum, sicut talis negotiatio, quæ vix potest exerceri sine mendaciis, perjuriis, fraudibus, et similibus, ex cap. *Ejiciens* 11. *dist. 88.* et cap. *Qualitas* 2. *dist. 5. de pænit.* et aliis adductis supra num. 10. Hinc Apostoli post Christi passionem redierunt ad piscandum; Joann. cap. 11. Sanctus Matthæus vero ad telonium non amplius resedit, quia istud posterius est de illis, quæ implicent ad peccatum, non autem prius, prout observat Sanctus Gregorius Papa *Homil. 24. in Evang.* et refertur in cap. *Negotium* 7. *dist. 5. de pænit.* (53. Quinimo tale artificium, et manualis labor, seu operatio ad multa bona inservit, ut observat Sanctus Thomas 2. 2. *quæst. 87. artic. 3.* Primo enim, et principaliter inservit ad victum quærendum; unde Protoparenti Adamo dictum est: *In sudore vultus tui vesceris pane;* *Genes. 3.* et *Psaln. 127. Labores manuum tuarum quia manducabis;* et secundum hoc dubitandum non est, quin Clericis, et Monachis liceat operari manibus propriis; ait enim Apostolus *Actor. 20. Ad ea, quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Et adducitur in cap. *Clericus* 1. *caus. 21. q. 1. et in cap. Cum Apostolus* 6. *de Censibus.* (54. Et de facto hoc laudabile institutum vivendi ex labore manuum suarum adhuc in dies observatur a pluribus Monachis, et maxime Basilianis Eremitis del Tordon, de quibus Clemens VIII. in suis Litteris sub datum Tusculi sub annulo Piscatoris die 23. *Septemb. 1603. Pontificatus sui anno duodecimo cap. 4.* sic ait: « Quærendi victus solertia (ut verba Sancti Basilii de institutionibus Monachorum serm. 1. referamus) his qui in hujusmodi vitæ genere degunt, ea maxime conveniens judicanda est, quæ præscripta est ab Apostolo, nimirum ut mani-

bus laborantes panem suum honeste manducant; ex quo et aliis dicti Patris locis declaramus, Monachos S. Basilii ex peculiari suæ Regulæ instituto ad victum propriis manibus parandum in communi teneri. Atque ita juxta præsentis reformationis statuta jubemus observari in illis artibus, quas etiam S. Basilii concedit; præcipue quæ intra domum exerceri possunt, velut texendi, plectendi, suendi, sarcendi et aliis secundum locorum et temporum exigentiam. Cum autem Sanctus Basiliius agriculturam, quia ea facillime res ad usum necessariæ haberi possunt, concedat, modo ea neque ab Accolis tumultus afferat, aut turbas, nos eadem ad frumentum, vinum, mel, oleum, et cæteros agri fructus comparandos permittimus. » Et refertur in cap. *Nunquam* 33. *dist. 5. de consecrat.* (55. Sic S. Hieronymus ad Rusticum Monachum *de vivendi forma scribat:* « Si Apostoli habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quemquam gravarent... Cur tu in usus tuos cessura non præparas? Vel fiscellam texe junco, vel canistrom lentis plecte viminibus, sarciatum humus, areolæ æquo limite dividantur, in quibus cum olerum jacta fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ... Inferantur infructuosæ arbores gemmis, vel surculis, ut parvo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas; apum fabricare alvearia, ad quas te mittunt Salomonis proverbialia, et Monasteriorum ordinem, ac Regiam disciplinam in parvis disce corporibus, texantur et lina capiendis piscibus; scribantur libri, ut et manus operentur cibum, et animus lectione saturetur. » Hæc ibi Hieronymus, ubi subjungit, « quod Ægyptiorum Monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque operis labore suscipiant. »

(56. Secundo, artificium, seu operatio manualis inservit ad tollendum otium, ex quo multa mala oriuntur. Unde dicitur Ecclesiast. 33. « Mitte servum tuum in operationem, ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas. » Negotium enim auctore Isidoro lib. 18. *Etymolog. c. 15.* sic dictum est, quasi negans otium, ut refertur in cap. *Forus* 10. *de verborum signific. ibi:* « Dictum est negotium, id est sine otio » et Glossa *ibid.* in verb. *Negotium;* unde ex ipsa vi nominis importat privationem otii, et significat actum omnem, cui otium repugnat; et ad hunc finem, nedum est licitum, sed et laudabilissimum Clericis, et Monachis operari manibus propriis, et ideo S. Hieronymus ad Rusticum Monachum: « Facito, inquit, aliquid operis, ut semper te diabolus inveniat occupatum, » ut refertur in dict. cap. *Nunquam* 33. *dist. 5. de consecrat.* (57. Tertio artificium, seu labor manualis inservit ad concupiscentiæ refrænationem, in quantum per hoc maceratur corpus. Unde 1. ad Corinth. 6. *In laboribus, in jejuniis, in vigiliis, in castitate.* Et ad hunc finem est licitissimum

(1) Rescripta et Brevia pro exercendo Advocati munere Sæcularibus Clericis, etiam beneficiatis, tum

Clericis, et Monachis tale artificium, seu labor manualis, unde in Monasteriis Ægypti nullus suscipiebatur incapax operandi, et laborandi, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem, ne vagarentur similes Monachi perniciosis cogitationibus; *d. cap. Nunquam* 33. *dict. 5. de consecr. ibi:* « Ægyptiorum Monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque opere, et labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus mens, et ad instar fornicantis Hierusalem omni transeunti divaricet pedes suos. » (58. Quarto, artificium, seu operatio manualis inservit ad evitanda furta, et ad eleemosynas faciendas, juxta illud Apostoli *ad Ephesios* 4. ibi: « Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. » Et ad hunc finem est sine omni prorsus dubio licitum Clericis, et Monachis operari manibus propriis; *arg. c. Pervenit* 26. *c. 86, et d. Decr. 1. dist. 88.*

(59. Inter negotia, artes, et officia Clericis prohibita, multa alia reperiuntur. Primo, prohibentur Clerici præsertim Beneficiati, aut in Sacris constituti agere Officium Procuratoris, et Advocati in sæculari judicio, seu foro, apud quem postulare non possunt, nisi pro seipsis, pro Ecclesia, aut si necessitas imminet, pro miserabilibus personis. Textus sunt clari et aperti in corpore Juris Civilis; *Autent. de Sacr. Episcop. § Deo autem, vers. alium;* et in corpore Juris Canonici in cap. *Quia Episcopus* 5. *quæst. 3. cap. Nullus* 11. *q. 1. cap. Credo, et seq. 21. q. 3. cap. Clerici* 1. *de Postulando,* ubi sic expresse dicitur: « Clerici in subdiaconatu, et supra in ordinibus quoque Minoribus, si stipendiis Ecclesiasticis sustententur, coram sæculari Judice Advocati in negotiis sæcularibus fieri non præsumant; nisi propriam causam, vel Ecclesiæ suæ fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus forte personis, quæ proprias causas administrare non possunt. » (60. Concordat cap. *Cum Sacerdotis sit Officium* 3. eod. tit. ubi additur, posse etiam postulare necessitate imminente pro personis conjunctis, ibi: « Non nisi pro seipso, vel Ecclesia sua, vel (si necessitas imminet) pro personis conjunctis, aut miserabilibus sibi licitum est postulare; » cap. *Cum multa sunt negotia* 1. *Ne Clerici, vel monachi;* cap. *Sacerdotibus* 2. eod. tit. ibi: « Sacerdotibus, et Clericis tuis denuncies publice: ne ministri Laicorum fiant; nec in rebus eorum procuratores existant. » (61. Quod est intelligendum, etiamsi Laici essent Principes, aut alii Magni Domini; cap. *Sed nec* 4. *Ne Clerici, vel Monachi,* ibi: « Sed nec Procuratores villarum, aut Jurisdictiones etiam sæculares sub aliquibus Principibus, et sæcularibus viris, ut Justitarius eorum fiat, Clericorum quispiam exercere præsumat (1). »

(62. Secundo, prohibentur Clerici esse et Sacris Ordinibus initiatis concedi, ut advocaturam exerceant in tribunalibus Ecclesiasticis, in lai-